



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Andreas Fundanus Ep. 6. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Beatus, qui se ab omni maculâ purum atque integrum servat, ut cum fiducia in domum suam recipiat Regem gloriae; qui cum reverentiâ ac tremore ad sacra-santa mysteria Servatoris accedit, seq̄ vitam eternam suscipere non ignorat. S.Ephrem in Beatitud.

## S. ANDREAS FUNDANUS EP.

6.Novembris.

R Ectè dixit, qui dixit primum ad lapsum grādum esse, occasionem non fugere. Id si homines inficias ire velint, ecce malí dæmones ultrò fatebuntur. ANDREAS omnibus virtutibus, sed castitatis laude in primis clarus feminam domi sūæ, privatus primum, pōst Fundanus etiam Episcopus, habebat ipsam quoque D̄eo devotam. O, ut fumo semper ignis est proximus! Ibat Romam ex Campaniâ Hebræus nescio quis: deprehensus à tenebris ad Apollinis fanum divertit, & intempestâ nocte in senatum cum regulo suo frequentes coire orci principes vīdet. Hic dum rem benè gestam singuli gloriantur, & alii alia facinora sibi quisque palmaria clamant; insolentior cæteris unus aliquis, & multùm nequitâ suâ superbus, jactat id tandem magno molimine se effecisse, ut ANDREAS Præsul mulierculæ tergum molliter destringeret. Enimvero acclamatum ab omnibus est; & factum id multis Pluto laudavit, veluti que jam de victo ANDREA triumphus decretus est tenebrioni. Sub ea in discedentium oculos Judæus incurrit; sed quod aliena arma, Crucem, more Christiano objecisset, tantum risere hominem, testam probè signatam, cæterà inanem dictantes. Nempe hic rectâ ad ANDREAM, qui Hebræo Christianis, & fano D. ANDREÆ Apost. trāscriptis,

domo

domo abhinc omnes omnino mulieres proscrispsit. Audite hæc aris devota pectora. Feminæ apud vos si exulaverint, ab exilio castitas redibit.  
*Ex D.Gregor.*

*Ne sub eodem cum mulieribus tecto mansites, nec in præteritâ castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Samsonem fortior, nec Salomone potes esse sapientior; memento semper, quod Paradisi colonum de possessione suâ mulier ejecerit.* S.Hieron.Epist.2.

### S. ENGELBERTUS EPISC. M.

7.Novembri.

**C**unas, vitam, mortem, omnia in ENGELBERTO præclara reperio, & digna infulâ Coloniensi, quam ille, uti & libertatem Ecclesiæ, etiam contra cognatum sanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Christi patrimonia sua putant, & in suos effundunt!) toto pectori propugnavit, ipsique adeò vitæ antehabuit. Neque enim alia ulla fuit causa Friderico Isenburghensi Comiti, & patrono ENGELBERTI, cur sub annum millesimum, ducentesimum & vigesimum quintum, immisso sicariis ex itinere nepotem obtruncaret, partidio tot sceleribus, quo vulneribus pleno, quæ quadraginta & septem erant. Nec verò minus piè, quam fortiter est mortuus ENGELBERTVS. Nam, ut taceam VIRGINEM solemini omnibus diebus Mercurii jejunio cultam, monitus per literas de insidiis, animum quidem confessione purgavit & lacrimis expiavit, cæterum ut ne hostem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cum jam parturiret ultimum scelus, hospitio non semel cum suis exceperit, neque comitem habere viæ abhorruit, utque malus Genius ex ore